



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quando sint homicidæ, qui procurant abortum. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



si tamen prolis generationem aliquo malo dolere non vitent.

*De his qui procurant venena sterilitatis.*

*De nupt. & concu. lib. 1. ca. 15. 20. 7.* Qui verò venena sterilitatis procurant, non coniuges, sed fornicarii sunt. Vnde Aug. Aliquando eousq; peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam venena sterilitatis procuret: & si nihil valuerint, conceptos foetus inter viscera aliquo modo extinguat vel fundat, volendo prolem suam prius interire quam viuere: aut si in vtero viuebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sint, coniuges non sunt: & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius conuenerunt. Si vero ambo tales non sint, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.

*Quando sunt homicidæ qui procurant abortum.*

*Aug. ca. 80.* Hic quizri solet de his qui abortum procurant, quando iudicentur homicidæ, vel non? Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, & animam habet, vt Aug. super Exod. asserit. Informe autem puerperium, vbi non est anima viua, lex ad homicidium pertinere nolu-  
*Super Exod. ca. 21. Idem li. quæst. ex veteri testa. 8. 23. 2. 4.* it. Dicit etiam Aug. quod informe puerperium non habet animam: ideoq; multatur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed iam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. Nam si cum semine & anima existit de anima, tunc & multæ animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu non proficit natiuitati. Primum oportet donum compaginari, & sic habitatorem induci. Cum ergo lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima. Itē Hieron. ad Algasiam, semina paulatim formantur in vtero: & tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membraq; suscipiant. His apparet tunc eos homicidas esse; qui

*In 10. 3. epistoliarum de 11. quæstion. quæst. 4.*



qui abortum procurant, cum formatum est, & animatum puerperium.

*De excusatione coitus, qua fit per hac bona.* F

Cum ergo hæc tria bona in aliquo cōiugio simul concurrunt, ad excusationē coitus carnalis valēt. Quando n. seruata fide thori causa prolis cōiuges conueniunt, sic excusatur coitus, vt culpam non habeat. Quando vero deficiente bono prolis, fide tamē seruata conueniunt causa incontinentiæ, non sic excusatur, vt non habeat culpam, sed venialē. Vnde Aug. Coniugalis concubitus generandi gratia, non habet culpā: Concupiscētiæ vero satiantur, sed tamē cum coniuge propter thori fidē, venialē habet culpam. Itē hoc quod coniugati v. tū concupiscētia vtuntur inuicē, vltra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quib. quotidie dicimus. Dimitte nobis debita nostra, &c. Vbi a. hæc bona desunt, fides scil. & proles, non videtur coitus defendi à crimine. Vnde in sententiolis Sexti Pythagorici legitur. Omnis ardentior amator propriæ vxoris adulter est. Item Hiero. Sapiēs iudicio amat coniugē, non affectu: non regnat in eo impetus voluptatis, nec præceps fertur ad coitum. Nihil est scēdus, quam vxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt se causa humani generis vxoribus iungi, imitentur saltē pecudes: & postquam venter vxoris intrumuerit, non perdent filios, nec amatores se vxoribus exhibeant, sed maritos. Idem, In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem, quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in vxore sunt damnatæ.

*De indulgentia Apostoli, quomodo sit accipienda.* G

Sed si concubitus qui fit causa prolis, culpa caret: *1. Cor. 7.* quid Apost. secundum indulgētiā permittit? ita enim ait. Hoc a. dico secundum indulgētiā. Cui n. præstatur venia, nisi culpæ? Per hoc etiam quidā probare volunt nuptias esse peccatū. Sed vt prædictum

*Matth. 6. 6*  
*Hiero. ad c.*  
*18. Ezech. 30.*  
*5. lib. 1. con-*  
*tra Iovinian-*  
*um, t. 2.*